



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel Eluciforatio nos disp. 1.
- 3 Axiomata brevia de ſarce phyſicalium diſtinctis M. Fied. Baldvini
- 4 Disp. de ſtatu actus tum ſpora tum officio. Hofmanni
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes ^{de p. t. ay} a multa
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{de p. t. ay} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs Dei & voluntatis ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedliche beschreibungen an d. Consistorium zu
Leipzig, vnter abſchafft des Exorcismi
M. Georgij Lystenij

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XXII.
DE LIBERO AR-
BITRIO.

Ex Articulo xviii Confessionis Augustanæ.

Quam,

Christo Servatore juvante,

SUB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI, S. THE-
ologiae Doctoris, & Professoris publici;
defendet.

THOMAS VVEGELINUS, Augustanus,

Mense Majo, horis locoq; solitis.



VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCVIII.



REVERENDO ET CLARISS. VIRO, DN. M. CASPARO SAUTERO, ECCLESIAE, QUAE EST APUD AUGUSTANOS ad DIVAE ANNAE, Pastori vigilantissimo, atque ministerii ibidem Superintendenti digniss. meritissimoque, Domino & affini suo quâ gratiosiss. quâ reverenter colendo.

Nec non

REVERENDO ET DOCTISS. VIRO, DN. IOHANNI VVEGELINO, Collegii apud Augustanos orthodoxi Ephoro solertiss. fidelissimoque, Fratri suo longè charissimo

Hanc DE LIBERO ARBITRIO disputationem in certissimum observantia & amoris testimonium D. D.

Th. VVEGELINUS, Respondens.

DE LIBERO ARBITRIO.

THESIS I.



DE Arbitrij nostri libertate Confessionem edituri Protestantes, non tam pensi habuerunt, quæ nostrarum Ecclesiarum, de ea Orthodoxa sit sententia: quam quæ Pelagianorum & his succenturiantium Pontificiorum corruptelæ & errores.

II.

Utrique enim in hac Quæstione de voluntatis humanæ libertate & viribus in rebus spiritualibus, decidendâ, mutuum mulcabant, & eandem thesin strenuè propugnant: quantumvis hoc negare hodie audent Andr. Fabritius, Iohannes à Daventria, & Iohannes Hoffmeisterus in suis in hunc Articulum animadversionibus.

III.

Patebit dicti veritas ex iis, quæ in secunda Articuli hujus parte, ἀντιθετικῆν nimirum contra Pontificiorum κηροφύγετα & mendacia, nobis disputanda erunt.

IV.

Illud duntaxat hîc notandum, utrique isti hæreticorum agmini, Pelagiano & Pontificio, hunc Articulum directè esse oppositum: ac proinde statum controversiæ hunc esse proprium: *Num aliquid extra statum Regenerationis possit & valeat facultas voluntatis humanæ, in rebus merè spiritualibus.*

V.

In his enim valere ac posse illam multum, & olim fuerunt plurimi, & hodie haud pauci sent, qui asseverent: Prototypi Negativam, nostræ Ecclesiæ per omnia tuentur.

VI.

Constat inde, quid discriminis intercedat Augustanæ Confessioni, & Formulæ Concordiæ, in statu controversiæ, quoad hunc articulum, informando: nimirum diversum planè utrobique esse statum: & Augustanæ quidem Confessioni eum, quem modò expressimus: Formulæ verò Concordiæ istum: *Quid hominis nondum renati voluntas in ipsa conversione & regeneratione ex proprijs suis viribus, & post lapsum reliquis, præstare possit: Quando videlicet verbum Dei prædicatur, & gratia Dei nobis offertur: An homo ad hanc gratiam apprehendendam sese applicare, eam amplecti, & verbo Dei assentiri possit.*

Form.
Concord.
Art. 2.
pag. 562.
& 639.

A 2

Syner.

VII.

Synergistarum nimirum errori suam opponit definitivam Formula Concordiæ: quæ Controversia tempore editæ Confessionis Augustanæ, lucem nondum viderat.

VIII.

Et si verò duo hi status Controversiæ plurimum à se sunt distincti: nihilominus tamen ex solidiore prioris status, quem Confessio nostra pertractat, decisione; Negativa etiam alterius status commode confirmari & defendi potest.

IX.

Quam ad rem plurimum conducit Prototypi, in hoc Articulo puritas, perspicuitas, perfectio; quæ tanta est, ut aliqui ex ipsis etiam scriptoribus Pontificijs, quorum tamen impietas in eo vel maxime notatur, omni censura superiorem eam judicare necessum habuerint.

X.

Harm. Sic enim Iohannes Hoffmeisterus, in suo, de hoc Articulo, judicio scribit: *Nihil nos offendit Articulus hic, nec quicquam in malam partem interpretabimur, quoniam ex monumentis piorum Patrum, imò & ex sacris scripturis videtur desumptus.*
Fabr. pag. 294.

XI.

Cæterum nihil obstante hac & diluciditate & perfectione, nihilominus sub indignam prorsus variationis, veriùs depravationis incudem Articulus iste fuit revocatus.

XII.

Et si enim *ΑΥΤΙΘΕΩΣ* gladius strictus in ea reperitur contra Pelagianos; interim tamen Semipelagianismo, sive Synergismo lata portapanditur: & cavillandi materia suppeditata adversariis, uti patet ex animadversione Fabricii, pag. 292. Harmoniæ.

XIII.

Neglectâ igitur spuriam & adulterinam editionem, Prototypi stamus puritate, quæ absolvitur partibus duabus propriis: *Θεός* nimirum, quæ docet, quid voluntatis humanæ libertas in rebus externis seu naturalibus, & spiritualibus possit, quid non possit: Et *ΑΥΤΙΘΕΟΣ* directa partim contra Pelagianorum, partim Pontificiorum errores.

PARS I. ARTICULI, *ΘΕΤΙΚΗ.*

XIV.

Quamquam liberi Arbitrii vox sacris in literis *ΑΥΤΟΛΕΓΙ* non reperitur: res tamen ipsa nec ficta nec commentitia videri debet.

Græci

XV.

Græci appellant *ἀυτεξούσιον*, quod est, suæ potestatis, aut sui juris: Vnde nominis hujus insolentia, ac superbia facile omnibus innotescit.

XVI.

Ipsa verò Liberi Arbitrii vox, è Philosophorum Scholis, ad doctrinam Ecclesiæ traducta, primo hominis statui, quem integri nominare solemus, propriè ac unicè competit.

XVII.

Fuit enim ad imaginem Dei initidè ille conditus, quæ erat rectitudo scientiæ in mente & intellectu: obedientia pura, ac sancta in affectibus ac motibus internis: liberrima denique facultas voluntatis, tam persistendi in bono, quàm declinandi ad malum. Gen. 1. 27.
Col. 3. 10.
Eph. 4. 24.

XVIII.

Vnde haud perperam Liberum Arbitrium definiri consuevit, quodd sit actus mentis & voluntatis, quo inter res objectas tum bonas tum malas, pro libitu ab homine fit electio.

XIX.

Quo sensu insolens hoc Liberi Arbitrii vocabulum, ad statum hominis post lapsum in hac vitâ considerati, nihilò magis propriè accommodari posse manifestum est, ac ruderibus meris nomen integri alicujus palatii propriè competit.

XX.

Nimis autem *κατὰ γρηγορίου* Liberum Arbitrium hac in disputatione, pro ipsa rationis sive intellectus nostri ac voluntatis substantiâ, accipitur.

XXI.

Quemadmodum enim Animam ipsam post protoplastorum lapsum, ratione substantiæ, sartam tectam mansisse certum est: Ita potentias quoque & facultates ejus essentielles, Intellectum nimirum & voluntatem, quæ nihil sunt aliud, quàm ipsa anima, quoad substantiam, illæsas ac integras mansisse, extra controversiam est positum.

XXII.

Quo respectu hominem etiâ in statu corruptionis, liberum habere arbitrium, hoc est, intellectu & voluntate præditum esse, quivis sanus intelligit.

XXIII.

Sic nimis etiam laxè Liberi Arbitrii termino in hac disputatione utuntur, qui totius animæ conditionem eo notari arbitrati, ad

facultates atque vires potentiarum Animæ eum accommodant: Rationis quidem ad bonum malumque discernendum; Voluntatis vero ad utrumvis eligendum.

XXIV.

Neque enim de totius animæ humanæ conditione hîc quæritur: sed de voluntate potissimum hominis, quid & quantum illa extra statum Regenerationis, in genere rerum merè spiritualium valeat, inter nos & Pontificios, ut & Synergistas, controvertitur.

XXV.

Rectissimè igitur in hac disputatione ad solius voluntatis Subiectum Liberi arbitrii vox referri & potest & deber.

XXVI.

Interim tamen similem utrobique esse rationem, & ex utraque de altera fieri posse iudicium minimè negamus.

XXVII.

Decisio autem totius hujus Controversiæ, geminâ distinctione commodissimè expediri potest: quarum prior, diversas actionum humanarum species: posterior verò distinctos hominum status considerat. De utraque seorsim agemus.

I. DISTINCTIO: Actionum humanarum distinctas species considerans.

XXVIII.

Actionum ergo, sive operum humanorum, circa quæ expetenda voluntas humana versatur, species aliæ sunt mundanæ, aliæ spirituales sive Ecclesiasticæ.

XXIX.

Mundanarum actionum aliæ sunt Naturales, aliæ Civiles sive morales.

XXX.

Naturales, vulgò mediæ dictæ, sunt, quæ secundum naturam à quibusvis communiter, eodémque modo fiunt, & neque ad bonum, neque ad malum propriè & per se tendunt.

XXXI.

Sunt hæ partim homini cum brutis animantibus communes: ut edere, bibere, moveri, dormire, generare &c. partim verò hominis, ex conditione suæ speciei naturaliter se habentis propriæ: ut ridere, loqui, ratiocinari, disputare, &c.

Civiles

XXXII.

Civiles sive morales vocamus, quæ cum vita tantum præsentem rationem relationemque habent, & quodammodo intra ejus fines ac crepidines continentur: Quales sunt, Politicæ, Oeconomicæ, Mechanicæ.

XXXIII.

Spiritualium sive Ecclesiasticarum actionum quædam sunt *externæ*, spectantes ipsum Religionis exercitium, inque oculos ac sensus incurrentes: Quales sunt, Auditus & meditatio verbi divini: ejusdemque homilica explicatio, dispensatio & usus externus Sacramentorum: Cantus Psalmorum: recitatio oralis precum: largitio eleemosynarum: & aliorum id genus Charitatis operum exercitia: Ceremoniæ externæ: & quæ sunt his similes.

XXXIV.

Dicuntur autem hæ actiones, Spirituales, respectu finis, ad quem sunt destinatæ, quatenus nimirum, internis illis & verè spiritualibus, quoad externam formam & usum subserviunt: Quo pacto à mundanis actionibus plurimum differunt.

XXXV.

Quædam verò spiritualium actionum sunt *internæ ac propriè spirituales*, quæ directè salutem animarum concernunt: ut Fides in Christum: assensus verbi prædicati & auditi: Conversio ad Deum; opera ex fide profecta: lucta cum Diabolo & carnis concupiscentiis, &c.

II. Distinctio, quæ est temporis, & diversorum hominis statuum.

XXXVI.

Secundum alteram distinctionem, homo respectu Temporis consideratur, vel in statu Integri, ante lapsum, de quo supra thesi 17: vel in statu corruptionis post lapsum.

XXXVII.

Qui posterior status triplicem rursus efficit hominis considerationem: alia enim ejus conditio ante Regenerationem; alia post regenerationem; alia denique post Resurrectionem.

DECISIO CONTROVERSIAE.

XXXVIII.

Ex duplici hac distinctione ad præsentem quæstionem de libertate voluntatis humanæ satis commodè responderi potest: Si ejus ad materiam suam propriam applicatio: ab impropria verò diligenter instituat remotio.

Ante-

XXXIX.

Ante lapsum igitur consideratus homo, quodcunque actionum
 Eph. 4. 24. humanarum genus spectes, liberrimum omnino habuit arbitrium:
 quippe in iustitia & sanctitate veritatis ad imaginem Dei conditus.

XL.

Lapsum verò Protoplastorum horribilis omnino, iusto DEI
 iudicio, insecuta est Naturæ humanæ corruptio: ut quoad vires &
 ref. 1. 6. potentias tum corporis tum animi, nihil sani, nihil recti & integri
 in universâ hominis naturâ, à planta pedis, usque ad verticem capi-
 tis, manserit reliquum.

XLI.

Quam corruptionem is statim effectus in natura humana sub-
 secutus est, ut libertas voluntatis humanæ ad actiones duntaxat ma-
 las, & peccata designanda, sit prona, proclivis, efficax: aded ut le-
 gem etiam peccati in membris nostris ea constituat. Rom. 7. 23.

XLII.

In hoc ergo miserando corruptionis statu considerata voluntas
 hominis, liberum quidem, sed valde infirmum, imperfectum ac de-
 bilitatum obtinet arbitrium, *in materiâ suâ propriâ*: & primùm qui-
 dem in actionibus *naturalibus*, ut videlicet homo, etiam nondum
 regeneratus, pro nutu ac beneplacito suo, ea quodâmodo liberè per-
 ficiat, quæ ad conservationem naturæ iudicat necessaria.

XLIII.

Pendet autem hæc ipsa libertas, ita ab ipsius DEI providentiâ,
 ut haud rarò hæc ipsæ actiones in medio cursu interrumpantur:
 Quemadmodum Rehobeam manum extentam, qua Prophetam
 comprehendendi iusserat, retrahere ad se non potuit. 1. Reg. 13. 4.

XLIV.

Deinde in *rebus civilibus* voluntas hominis nondum etiam re-
 nata, aliquousque ex libertate arbitrii progredi, & externam quan-
 dam disciplinam præstare potest, quam Apostolus *φρόνημα τῆς σαρκὸς*
κὸς nominare: & quâ meliorem Dominus iustitiâ requirere vide-
 tur. Rom. 8. 6. Matth. 5. 20.

XLV.

Pertinet huc *νομοθεσία* & doctrina Ethica gentilium: libera-
 lium artium ac disciplinarum inventio & propagatio: & id genus
 alia, quæ boni mundani, ac virtutis politicæ laudem merentur.

XLVI.

Hæc autem quoque libertas non absolutè est libera, sed DEI
 cum.

cum primis requirit auxilium : quo destituti homines non renati, & sibi ipsis, subque iudicio carnali relictī, plurimum hoc etiam in acti-
onum genere errant, & sapissimè frustrantur per cogitationes suas,
ut loquitur Apostolus. Rom. 1. 21.

XLVII.

Tūm, quoad actiones Spirituales externas, quas Studium Carnale
vulgò indignant, actu externo præstandas, voluntatem humanam
vires non deficiunt : quemadmodum hoc multis diducitur in For-
mula Concordiæ. pag. 646. & 653.

XLVIII.

Potest enim homo ex libero voluntatis motu vel adire vel ne-
gligere conciones : potest audire verbum DEI, potest illud legere,
discere, meditari : & quidem hæc omnia præstare ἡδέως ἢ μετὰ προ-
θυμίας, libenter, & cum aviditate aliqua.

XLIX.

Dicti veritas patet tūm ex perspicuis scripturarum testimoniis,
tum exemplis eorum, qui nondum etiam renati, verbum DEI li-
benter audivisse, commemorantur.

L.

Rom. 10. 2. de hominibus merè carnalibus prædicat Aposto-
lus, quòd possint habere studium, sive zelum DEI, licet οὐ κατ' ἐ-
πίγνωσιν, Luc. 13. 24. tribuitur pereuntibus, & regnum DEI non in-
gradientibus, æternæ salutis desiderium.

LI.

Et cū primis classicus est locus ille Propheticus, quo Iudæis peri-
turis, & à gratia DEI alienis, adscribitur FAMES, hoc est, deside-
rium audiendi & discendi verbi divini. Sic enim apud Prophetam
comminatur Iehovah : Ecce dies veniunt : & mittam Famem in ter-
ram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum DEI :
& commovebuntur à mari usque ad mare, & ab Aquilone usque ad
orientem : circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient. A-
mos 8. 11. & 12.

LII.

Exempla hujus rei in sacris passim sunt obvia. Herodes certè
non renatus ἡδέως libenter audivisse Iohannem Baptistam legitur.
Marc. 6. 20. Sergius Proconsul, homo Ethnicus desiderasse dicitur
audire Paulum & Barnabam. Act. 13. 7. qui etiam postea, cūm Pau-
lus confunderet Elymam Magum, ad fidem Christi perductus ac
conversus fuit, verl. 12. & c.

B

Neque

LIII

Neque verò hoc pacto vel Pontificiorum delirium de merito congrui stabilitur: vel Synergistarum errori quicquam præsidii quaeritur.

LIV.

Neq; enim Pontificiorum more, congruum esse arbitramur, ut Deus facientibus quod in se est, gratiam suam conferat: vel ullum ulla ratione meritum statuimus; sed loquimur de medio sive organo divinitus instituto: quod est verbum prædicatum & auditum, per quod Deus fidem in hominibus operari decrevit:

LV

Pari ratione omnis *συνεργίας* opinio expirat, quando attenditur, qua de re hoc loco sit disputatio. Non autem disceptatur aut quaeritur: *Quid hominis nondum renati intellectus & voluntas IN IPSA CONVERSIONE ex proprijs viribus præstare possit.* Hic enim nihil, nihil profus, vel ex toto, vel ex dimidiâ, aut ulla, vel minimâ etiam parte libero arbitrio: sed in solidum, id est, simpliciter soli divinæ operationi, & SPIRITUI SANCTO, conversio, fides, regeneratio, & OMNIA, quæ ad illam efficaciter & inchoandam & absolvendam pertinent, adscribitur. Vbi certè omnis omnino synergismus tollitur.

LVI.

Sed hoc loco de eo est quæstio: *Quid ante conversionem omnem præstare homo & possit & debeat:* In qua quæstione homini non renato, hoc facultatis & virium tribuitur: quod verbum Dei admittere, atque audire, pro captu etiam suo meditari illud, & in hoc tractando carnale saltem studium exercere homo non renatus possit.

LVII

Notatur ergo externus duntaxat auditus, non internus, qui à Deo per externum illum auditum in nobis exuscitatur: ac proinde inter res externas, quibus Deus ceu medijs utitur: & internas, quas SOLUS SPIRITUS SANCTUS operatur, accuratè distinguere: imò inter ea, quæ à facultate nostra, & quæ à divinâ potentiâ atque efficacîâ proficiuntur, ritè discerni debet.

LVIII

Vnde ordo conversionis nostræ à Deo talis constitutus: **Primus**

mus lapis conversionis humanae à Deo ipso est ponendus: idque per vocationem merè gratuitam, quæ expeditur verbo prædicato. 2. Hanc verbi prædicationem subsequatur necessum est auditus verbi, itque non frigidus, non somnolentus: sed serius, & cum studio discendi conjunctus: qui tamen auditus non rationem vel causæ alicujus efficientis: vel cujuscunque *συνάρτης* concussæ, sive meritoriae, sive cooperantis: sed duntaxat respectum causæ instrumentalis respectu Dei (quoad ordinariam conversionem hominis) obtinet. 3. Huic auditui externo, pro suo tamen beneplacito, benedicturum sese Deus promittit, eo modo, ut vi & operatione solius Spiritus sancti, sequatur auditus internus, assensus, fides, illuminatio, conversio.

LIX.

Vanus ergo est clamor cujusdam Aristarchi, qui nuper Ecclesiarum nostrarum Doctoribus, *συνεργίας* errorem ideo impingere publico scripto haud dubitavit, quia illi viribus humanis, & libertati voluntatis, hominis nondum renati, facultatem externam audiendi verbum Dei, concedunt & largiuntur.

LX.

Cæterum, ut ad institutum redeamus: Quoad actiones internas & verè spirituales, quas materiam impropriam Liberi Arbitrii in hoc corruptionis statu nominamus, statuimus cum confessione nostra, hominem nondum renatum, servum potius, quàm Liberum habere Arbitrium.

LXI.

Homo enim animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: siquidem stultitia est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter judicantur. 1. Cor. 2. 14.

LXII.

Hinc figmentum cordis malum esse dicitur ab adolescentia. Gen. 8. 21. Affectus carnis inimicitia adversus Deum. Rom. 8, 7. ira quidem, ut solus Deus in nobis operetur & velle & perficere. Phil. 2. 13.

LXIII.

Hinc scripturæ omnem viribus humanis *δύναμιν* sive facultatem perficiendi bonum, ac proinde ipsam quoque voluntati libertatem in bonis spiritualibus ex toto denegant: aded, ut sine Deo nihil quicquam possimus facere, ne cogitare quidem

B 2

dem

quidem ex nobis, quasi ex nobis : sed nostra *ἡμετέρας* à solo Deo de-
pendeat. Matth. 7. 18. Ioh. 3. 27. & cap. 6. 44. 1. Cor. 4. 7. Ioh.
15. 5. 2. Cor. 3. 5. LXIV.

1. de Sp. &
lit. c. 3.
1. 3. cont.
duas epist.
Pelag. c. 8.
Tom. 7.
Col. 1371.
a & b.

Quem in modum rectè D. etiam Augustinus, Liberum Arbitri-
um nihil quicquam, nisi ad peccandum valere : ad iustitiam verò,
nisi divinitus liberatum adiutumque fuerit, nihil facere posse, pro-
nunciat. LXV.

Et lib. 3. hypognofticòn scribit : Esse fatemur liberum arbitrium
omnibus hominibus ; habens quidem iudicium rationis, non per
quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut
certè peragere : Sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis,
quàm etiam malis. LXVI.

Quibus ita discussis, manifestum evadit, *Quomodo voluntas homi-
nia se in ipsa conversione habeat ;* nempe non ut causa efficiens, aut
quovis modo cooperans ; Sed potius *ut ipsum subjectum convertendum,*
in quo Spiritus sanctus sola sua virtute, sine ulla cooperatione homi-
nis per verbum auditum efficaciter operatur fidem & conversionem ;
sive, ut Apostolus loquitur, & velle & perficere, Phil. 2. 13.

LXVII.

Et hoc est, quod B. Lutherus dixit, Hominem in Conversio-
ne sui, sese habere *merè passivè.*

LXVIII.

Sive enim ipsum momentum, quo Spiritus sanctus voluntatem
hominis per verbum auditum aggreditur, & jamjam in ea conversio-
nem efficit, consideres : sive gratiam divinam expendas, quæ sola
novos motus in voluntate accendit, & ex malâ bonam, ex repugnante
obedientem præstat : sanè voluntatem, ut subjectum patiens, re-
spectu causæ efficientis, passivè se habere manifestum est.

LXIX.

Neque verò propterea nullum inter hominem, & truncum si-
ve saxum relinquatur discrimen, aut ideò hominis conversio, modo
quodam coactio aut violento fieri, statuendum fuerit.

LXX.

Nam 1. Neque truncus, neque saxum, aut ulla aliqua irratio-
nalis creatura convertitur unquam : sed homo lapsus : 2. etsi Spiritus
sanctus invenit naturam repugnantem : ipse tamen in Conversionis
actu magis magisque ex nolente facit volentem, ex repugnante obe-
dientem.

Cujus

LXXI.

Cujus differentiae intuitu, nonnulli Theologi Aptitudinis & capacitaris elogium homini tribuere non exhorruerunt: non quidem sensu Pelagiano aut Synergistico: sed hoc duntaxat respectu, quod Homo est subjectum *ἰκανόν*, vel, ut Philosophi loquuntur, subjectum habile conversionis, quod videlicet potest converti, & capax conversionis: non quidem ex se, sed ex operatione Spiritus sancti.

LXXII.

Quam ob causam etiam Formula Concordiae phrasas illas lo For. Conc. quendi, tanquam minus commodas & Orthodoxas rectissime im- pag. 661. probat ac rejicit, quibus simpliciter & sine ulla certa explicatione aliqui dixerunt, hominis voluntatem, ante conversionem, in conversione, & post Conversionem Spiritui sancto semper repugnare: & Spiritum sanctum iis dari, qui ex proposito & pertinaciter eidem resistunt. Item, Hominem non modò nihil agere in spiritualibus, nullumque agendi habere modum, quoad bonum: (id quod est Orthodoxum) sed repugnantem etiam converti, aut nescium saltem, quid secum agatur.

LXXIII.

Neque enim sicuti ceræ imago aliqua, sic cordi humano imprimitur conversio, sed, (ut rursus Formulæ concordiae verbis utamur) talis est per operationem Spiritus sancti immutatio in hominis intellectu, voluntate & corde, qua homo, non quidem ex vi propria, sed ex gratia Spiritus Sancti, oblatam gratiam apprehendit.

LXXIV.

Nam Deus, ut D. Augustinus inquit, ex nolentibus facit volentes, & in volentibus habitat.

LXXV.

Et profectò nisi talis in voluntate hominis fieret immutatio ad bonum: sed stupor, violentia & coactio locum in ea haberet: jam utique nec voluntas amplius ipsa, voluntatis obtineret respectum; nec verò, & multò quidem minùs, ulla conversio vel fieri, vel esse posset.

LXXVI.

Siquidem totalis repugnancia, & conversio ad Deum, in uno eodemque subjecto simul locum habere nullo modo potest.

LXXVII.

Est ergo conversionis *caussa unica efficiens*, ipse Spiritus Sanctus, qui per verbum & Sacramenta, tanquam *causam instrumentalem*, ordinariè conversionem illam hominis operatur.

LXXVIII.

Cæterum in statu corruptionis altero, homo, post regenerationem & conversionem consideratus, non modò in naturalibus, civilibus, & externis illis spiritualibus actionibus, suum, quod cum non renatis commune habet, retinet liberum arbitrium: verùm etiam multò præstantiores ipsius sunt actiones, ut quæ Spiritu Dei jam reguntur.

LXXIX.

In spiritualibus autem verè ac propriè sic dictis, liberatum habet arbitrium, ut jam voluntas ipsius Spiritu Sancto illuminata ac mota, ea quæ Dei sunt, atque ad salutem æternam directè faciunt, velit, & ad bonas actiones, Deoque placentes alacriter feratur.

LXXX.

Hinc est, quòd Apostolus Renatos nominat *αὐτίκως* gratiæ acceptæ, & omnia in Deo posse, nihilque ipsis impossibile esse, Scriptura affirmat. 2. Cor. 6. 1. Phil. 4. 13. Math. 17. 20.

LXXXI.

Non quidem, quòd ex propria naturalium virium facultate ista præstare queat voluntas humana; sed quòd ex vi gratiæ Spiritus Sancti, & quidem non magis ipsa, quàm gratia Dei, quæ in ipsa est, illud operetur, 1. Cor. 15. 10.

LXXXII.

Est verò hæc restauratio virium hominis in hac vita non perfecta: sed perpetua manet pugna carnis & Spiritus: ita ut idem homo, ex ea parte, qua regeneratus, secundum Spiritum & interiorem hominem verbo Dei assentiatur: ex altera verò parte, qua carnis illecebræ dominantur, juxta carnem & veterem hominem repugnet & reluctetur. Rom. 7. 23. Gal. 5. 17. 1. Pet. 2. 11.

LXXXIII.

In qua pugna Spiritus sanctus accensos quidem & à se creatos novos motus in nobis fovet, auget, confirmat: Malignus verò spiritus vitium in Naturâ reliquum roborare ita conatur, ut ne caro pravis suis moribus ac illecebris resignans in obsequium Spiritus annuat, sed ad pristinum peccatorum cœnum & volutabrum redeat.

LXXXIV.

Quare assidua meditatione verbi divini, quod ad generandam fidem efficax Spiritus sancti est *ὄχιμα*: frequente Sacramentorum usu: indefessa & ardenti imploratione auxilii divini est opus; ne in
Iusta

Iuxta hac succumbentes, posteriora reddamus deteriora prioribus.

LXXXV.

Et talis quidem est liberi arbitrii ratio ac conditio, qualis in hac vita post lapsum consideratur, in homine tam non renato, quam renato.

LXXXVI.

Iam verò quo ad tertium hujus status respectum, in vita beata post Resurrectionem longè perfectius hominis erit arbitrium, quàm in Creatione ante lapsum, nedum post lapsum.

LXXXVII.

Ita enim in ea liberatio hæc perficietur, ipsaque liberata natura sic per gratiam Dei confirmabitur, ut non modò labi amplius non possit: verùm etiam voluntatis humanæ facultas non ut ante lapsum, ad utrumvis objectorum tam bonum quàm malum pariter, sed saltem ad bonum eligendum sese sit habitura.

LXXXVIII.

Quæ voluntatis humanæ determinatio, ejusdem libertatem non tollet, sed extollet: non interficiet, sed perficiet; ut immutabiliter quidem, liberrima tamen voluntate, solummodò bonum sit expectura & perfectura.

LXXXIX.

Id quod Christus Servator innuit, beatos cœlires in Resurrectione sicut Angelos Dei futuros pronuncians, Matth. 22. 30.

P A R S II. A R T I C U L I

ΑΥΤΙΘΕΤΙΚΑ

XC.

Nugatur Andreas Fabricius, Prototypon Confessionis nostræ nullam prorsus habuisse adjectam *αυτιθετικη*: sed eam demùm VVi. Harm. teberge in exemplari octavæ formæ, anno 1531. à Georgio Rhau pag. 292. impresso, fuisse appositam.

Mendaci.

XCI.

Vide præ-
fat. Form.
Concord.
p. B. 2. 6.

Mendacium hoc esse, nihil quicquam dubitamus, præsertim cum prostant tabulæ publicæ & rescripta Electorum ac principum, quibus sanctè testatū fecerunt, Exemplar Confessionis Augustanæ, quod Formulæ Concordiæ insertum, cum Prototypo, quod in Archivis Imperii hodiè que asservatur, undiquaque ex assè respondere: Habet autem illud *ἁπλοῦς* istam omninò adjectam & expressam.

XCII.

Sic autem ea est in prototypo informata: *Damnant Pelagianos, & alios, qui docent, quòd sine Spiritu sancto, solis natura viribus possimus Deum super omnia diligere, Item: præcepta Dei facere, quoad substantiam actuum.*

XCIII.

Stricta est hæc *ἁπλοῦς* tum in Pelagianos, tum in Doctores Pontificios, quorum communis in hoc articulo, & prorsus *ἁπλοῦς* est doctrina.

XCIV.

Notari autem Pontificios hoc loco, ipsi etiam scriptores Pontificii agnoverunt: Sic enim Fabricius: *Ibi quidem Pelagianos verbis perstringunt, sed multò magis ipsis propositum fuit, Catholicos nova calumnia onerare, &c.*

XCV.

Tom. VI.

De Pelagianis scribit D. Augustinus lib. de hæresibus ad Quodvultdeum, eos in tantum Gratia Dei fuisse inimicos, ut crediderint, sine hac posse hominem facere omnia divina mandata.

XCVI

Tom. II.

Et Epistola 92. ad Innocentium, testatur istos docuisse, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ, sine adiutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.*

XCVII.

Et, ut rursus habet Augustinus, citato libro de hæresibus: *Increpatus tandem Pelagius à fratribus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei, ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hætenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens: Ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint impleri per gratiam. Dicendo utique, ut faciliùs possint: voluit credi, etiam si difficiliùs: tamen posse homines sine gratia divina facere jussa.*

Citabant

XCVIII.

Citabant autem pro erroris sui defensione, universa legis dicta, promittentia gratiam, si satisfiat legi: iisq; dictis hanc conditionem praescribent, haud fas fore, talia mandari à Domino, aut à nobis requiri, nisi in nostra essent potestate.

XCIX.

Sed rectè respondit D. Augustinus, tum passim, tum in libro de gratia & libero arbitrio, cap. 16. his verbis: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non iuberet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri: quis hoc nesciat? sed ideo iubet aliqua, quae non possumus, ut noverimus, quae ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quae orando impetrat, quod lex imperat.*

C.

Deinde Deus non simpliciter praecipit impossibilia, etsi naturae corruptae sint impossibilia. Nam natura in statu integri constituta, qualis Adami ante lapsum fuit: Christi item in tempore assumpta; & nostra erit in beata vita; legis divinae impletionem praestare nullo negotio potest.

CI.

Tum habet haec ipsa impossibilitas, in corrupta etiam natura, suum usum. Mandando enim impossibilia Deus, non praeveritatos fecit homines, sed humiles, ut inquit Bernhardus (Serm. 10. in Canticum) nimirum ut agnito naturae vitio ad gratiae remedium accrius aspirent.

CII.

Ceterum conqueritur Fabricius noster, nova calumniâ onerari Catholicos (Pontificios sic minus catholicè appellat) quasi Pelagianum errorem foverent. & statuerent, quòd sine Spiritu sancto solis naturae viribus possimus Deum super omnia diligere.

Harm.
Fabr. pag.
292.

CIII.

Et Monachus à Daventria contra protestatur, in hunc modum: *Volve revolve omnia Catholicorum (Pontificiorum) scripta, dispeream, si plus à nostris libero arbitrio attributum sit, quam isti (protestantes) attribuunt. Ubiunquae ergo offendet, quòd Catholicos cum Pelagianis conferunt; ubiunquae offendet, quòd dicant, Catholicos docere, hominem posse Deum diligere super omnia, & praecepta Dei facere, mereri gratiam, &c. mendacium esse agnoscito.*

Harm.
Fabr. pag.
292. b.

CIV.

Sed bene habet. Dispeream ego, nisi ex ipsis non tam Scholasticorum Doctorum, quam recentium Scriptorum Pontificiorum scri-

C

ptis



ptis, ad oculum hoc demonstrari possit. Vos duntaxat Romanenses
sacrificuli attendite.

CV.

Sic ergo Gabriel Biel in l. 3. Sent. dist. 27. dubio 2. lit. Q. pro-
positione 1. Viatoris voluntas humana ex suis naturalibus potest dili-
gere Deum super omnia, hac addita ratione: Homo errans potest diligere
creaturam super omnia, & frui ea ex PURIS NATURALIBUS.
Ergo PARI RATIONE potest diligere Deum ex SUIS NATURALI-
BUS super omnia, & frui eo.

CVI.

Antoninus part. 1. summæ. tit. 11. cap. 3. Homo potest inclinare
aurem suam in verba legis: inclinare autem aurem, est implere legem IN-
TEGRALITER, obedire intentionaliter, & agere constationaliter. In-
tegraliter implere, est totam legem facere: intentionaliter obedire, est se-
cundum intentionem legislatoris, & non secundum verba legem facere: Con-
stationaliter agere, est propter timorem pœnarum non declinare.

CVII.

Et in Sorbona Parisiensi, ante annos haud ita multos, publicè
disputatum & defensum est impium hoc thema: Ad decalogi præce-
ptorum observationem non requiritur gratia, cum peccata non sint omnium
gentium opera. Quæst. Theolog. Paris. pag. 20.

CVIII.

Quoad recentiores scriptores, mirum videri debet, quo com-
punctionis Spiritu percussus Fabricius noster, hanc suarum Ecclesia-
rum doctrinam negare ausit, cum ipse pag. statim sequente. protesta-
tionem Iohannis Cochläi, Fabricianæ ex adverso repugnantem, his
verbis ponat: Utrobique damnant (protestantes in hoc articulo) eos,
qui hominem proprijs naturæ viribus docent posse præcepta Dei facere,
quoad substantiam actuum. Videntur autem hominis naturam & mentem
(opus utique bonum, & imaginem Dei) nimis deprimere, atque à naturali
bonitate sua, quam à Deo habet, & quæ ratio ad optima deprecatur, ut ait
in Ethicis Aristoteles, deicere: Et ipsum Deum Opt. Max. summa bonitæ-
te, clementiâq; & misericordia privare, dum inaputant ei, quod imposue-
rit homini præcepta facta impossibilia. Sciunt namque omnes, quod tyran-
nicum sit potius, quàm Regium, subditis impossibiles constituere leges & o-
nera imponere ipsis importabilia. Quare concludunt Patres, quod gravis sit
in Deum blasphemia, dicere aut docere, quod Deus homini præcepta im-
possibilia imposuerit. &c.

Et

CIX.

Et post pauca idem Cochlæus: Ne quis verò dicat, hac dicta esse de homine in statu naturæ integræ, per inobedientiam Adæ, & peccatum originale corruptæ, dicit contra hoc textus apertè: Mandatum quod tibi præcipio hodie, non est supra te.

CX

Quæ Iacobi à Payva qui vulgò Andradius dictus, Hyperaspistæ illius Tridentini concilii, pro hac ipsa Pelagiana thesi defendenda, sint Emblemata, qui flosculi: copiosè fuit ostensum Disputatione undecima, de Iustificatione, Thes. 28. usque ad 34. id quod huc referri potest & debet.

CXI.

Coronidis loco audiamus Robertum Bellarminum, nihilò felicius *πελαγίαν/ζοντα*, qui scribit, Catholicos omnes summa confessione docere, Legem DEI absolute esse possibilem, non quidem per solas vires liberi arbitrii, sed per auxilium gratiæ DEI, & charitatis habitum infusum.

Tom. 3.
pag. 1205.

CXII.

Neq; enim proficit quicquam Iesuita, dum divinæ gratiæ adiutorium viribus naturalibus adjunctum demùm posse legem absolute implere statuit: Nam & Pelagianos gratiæ divinæ locum eodem modo reliquisse, suprâ ex Augustino comprobavimus, Thes. 94.

CXIII.

Quare tandem concludimus rectissimè Confessionem nostram Pelagianos & Pontificios ejusdem erroris reos peragere, ac proinde etiam uno eodémque Anathematis gladio utrosque percutiendos.

CXIV.

Sed sunt & alii hæretici, quorum impietas hoc in Articulo damnari solet: ut *Manichæi*, qui asseruerunt, *Malum* non ex libero arbitrio ortum esse, neque voluntariè animas hominum peccare, sed eactas à contraria & inimicâ nobis substantiâ: teste Augustino, lib. I. *Retract.* cap. 9. & lib. de fide contra Manichæos, cap. 5. Sed de hoc impietatis dogmate sequens ager disputatio.

CXV.

Pertinent ad errantium classem etiam *Synergistæ*, qui voluntatis libertati in conversione aliquam adscribebant, non quidem *δύναμιν*, sed *συνέγγιστον*, uti loqui solebant, qua voluntas hominis, licet ipsa suis se viribus erigere nequeat, accedente tamen Spiritu sancto, ipsa quoque ex se in conversione efficiendâ aliquid cooperetur.

C 2

Damna-

C X V I.

For. Con.
pag. 661.
& 662.

Damnavit hunc errorem Formula Concordiæ, & simul etiam phrasas sive modos loquendi improbavit, quibus erroris hujus patroni σωτέρας voluntatis humanæ in conversione suffulcire solebant, dicentes: Trahit Deus, sed volentem trahit: Tantum velis, & Deus præoccurrit, &c.

C X V I I.

Possunt postremo loco errantibus annumerari etiam *recentiores Manichæi*, qui in conversione hominis, ipsam substantiam humanam, ac essentiam animæ $\kappa\alpha\iota$ μετασίωσιμ immutari: ac proinde novum cor, novumque hominem ita creari statuebant, ut veteris Adami substantia, præsertim verò anima rationalis, penitus aboleatur, & per miram quandam μεταμόρφωσιμ in novam speciem transeat,

DEO GLORIA.



2/1935 a

ULB Halle 3
001 541 250



56







27

DISPUTATIO XXII.
DE LIBERO ARBITRIO.

Ex Articulo XVIII Confessionis Augustanæ.

Quam,

Christo Servatore juvante,

SUB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI, S. THE-
ologiae Doctoris, & Professoris publici;
defendet.

THOMAS WEGELINUS, Augustanus,

Mense Majo, horis locoq; solitis.



VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergii.
M. D. XCVIII.

